



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Redemptoris innocentis, periti nocentis, inter se comparatio; ac hujus  
renovatio, 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

& releva conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & remitte redempti delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus, in quo tibi bene complacui-  
sti. Hic est ille innocens, in quo dolus in-  
ventus non est, & tamen cum iniquis depu-  
tatus est.

## C A P V T VII.

*Redemptoris innocentis, & perditio nocentis, in-  
ter se comparatio; ac hujus renovatio.*

1. **Q**uid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti amantissime juvenis, ut sic tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mor-  
tis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occi-  
sionis. Ego tuæ livor passionis, tui cruciatus  
labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindic-  
tæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio,  
& ineffabilis mysterii dispositio! peccat ini-  
quus, & punitur justus: delinquit reus, &  
vapulat innocens: offendit impius, damna-  
tur pius: quod meretur malus, patitur bo-  
nus: quod perpetrat servus, exsolvit domi-  
nus: quod committit homo, sustinet Deus.  
Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas?  
quo tua deslagravit charitas? quo processit  
pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus  
attigit amor? quo pervenit compassio?  
Ego enim inique egi, tu poena mulctaris:  
ego facinus admisi, tu ultione plecteris:  
ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris:  
ego

ego superbivi, tu humiliaris: ego tumui,  
tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obe-  
diens Patri scelus inobedientiaz luis: ego  
gulæ parui, tu inedia efficeris: me ad illici-  
tum rapuit concupiscentia ardorem, te per-  
fecta charitas dicit ad crucem. Ego præsum-  
psi vetitum, tu subiisti eculeum; ego dele-  
ctor cibo, tu laboras in patibulo: ego fruor  
deliciis, tu laniaris clavis. Ego pomi dulce-  
dinem, tu fellis gustas amaritudinem. Mihi  
reο ridens congaudet Eva, tibi pie plorans  
compatitur Maria. Ecce Rex gloriose, ecce  
impietas mea, & claret pietas tua: in mea in-  
justitia, & tua liquet justitia.

2. Quid Deus meus, & Rex meus? Quid  
retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti  
mihi? Non enim inveniri potest in corde ho-  
minis, quod condigne talibus referatur præ-  
miis. Nunquid potest sagacitas machinari  
humana, cui comparetur miseratio divina?  
Nec est creaturæ, moliri officium, quo juste  
creatoris recompenset præsidium. Est autem  
nate Dei, in hac tua admirabili dispositione,  
cui mea fragilitas in aliquo suppeditet, si tua  
visitatione compuncta mens carnem suam  
crucifigat cum vitiis & concupiscentiis. Et si  
hoc à te conceditur, quasi jam tibi incipit  
compati vel vivere, quia & tu pro peccatori-  
bus dignatus es mori: sicque per interiorem  
victoriām hac duce armabitur ad exteriorem  
palmam: qua devicta persecutio spiritali,  
non vereatur pro amore tuo subjici gladio  
materiali. Ita exiguitas conditionis, si tu  
complaceat pietati, magnitudini valebit pro  
viri-

viribus respondere conditoris. Et hoc coelestis medicinae, bone Iesu, hoc tui antidotum amoris.

3. Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde visceribus meis, ut rejecta vipereæ cogitationis labe, reintegret me incolumitati pristinæ: quo gustato nectare tuæ suavitatis, faciat me illecebrosa mundi prospera, toto affectu despicere, & nulla ejus adversa pro te formidare; memorque perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos hujus transitorii timoris. Nihil quæso sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nihil pretiosum, nihil præter te arrideat speciosum. Vilescant obsecro abs te mihi omnia, fordescant universa. Quod tibi adversum est, mihi molestum sit; & beneplacitum tuum sit mihi indeficiens desiderium; tædeat me gaudere sine te, & delectet me tristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tua mea consolatio. Fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, tuas investigando justificationes. Sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Sit obedire mihi amabile, resistere execrable. Rogo te, spes mea, per omnes pietates tuas, ut propitieris omnibus iniquitatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis; & ne declines, flagito per nomen sanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, non veniat mihi pes superbiorum, & manus peccatoris non moveat me.

CA-